



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De amore ad solitudinem & secretum. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

tiam siue per naturam existimus. Et ideo de inæqualitate meritorum & distributione officiorum, nulli expedit iniuste cogitare aduersus aliquem quantumlibet despectum & inferiorem ceteris hominibus in hoc mundo. Ad propositum ergo rediens dico, quod propter dimissam illius officij curam, non es modo inferior aut inutilior ad pia opera facienda, de quo aliqua scripsi tibi, vt senteras tunc conuenientia: sed forte modò talia non sapiunt, quia non conueniunt bene. Sed quid in futurum adhuc valeant, nescis, cum possit res confimilis aduenire. Sunt tamen ibi, si aduertis, quedam que quieti & proposito presentis deseruiunt.

4. *Vtile est existenti in quiete, ut recogitet de priori labore.*

In quiete  
& ocio  
suauis est  
& utilis re-  
cordatio  
laboris  
præteriti.

SI ergo ad memoriam tuam redeunt illa onera & occupationes elapsæ, forsitan vtiliter interdum prosunt; tunc credo clarius senties, quantum distat inter tunc & nunc. Videbis quoque, quod tuæ virtutis non fuerat animam potuisse sub interiori custodia in occupationibus seruare, quando & in quiete vix cohibere se praualet humana infirmitas. Pepercit igitur tibi Deus, & ideo gaude in adepta simplicitate; & conuerte sensum tuum liberius iam ad intelligentiam spiritualium rerum. Citò vilescet sapientia terrena, amanti celestem sapientiam. Rarò diu conueniunt, frequens exteriorum occupatio, & diuinorum secretorum notitia.

5. *De amore ad solitudinem & secretum.*

Cant. 8.  
Iog. 5.

VEge dilecte mi, ait sponsa: quia & sponsus Iesus legitur etiam declinasse à turba constituta in loco. Eris frequenter cum Iesu, si amaueris secretum, & curaueris custodire paradisi locum, quem beatus Hieronymus cellam nominat dicens: Quamdiu non es in patria, cella sit paradisu tuus. Inibi gaudebis in Domino, & confabulaberis ei, & ille respondebit tibi: Appropinquabit cordi tuo lux eius, & veritas manifestabitur tibi amplius. Sole orto & feruente, multiplicabuntur radij illius; & Christo veniente, illustrabitur interior domus tua. Emundaberis lumine nouo, & in fulgore eius persultabunt omnia interiora tua. Et dices: Domine quis similis tibi? Quam verus sermo, quem legi: *In lumine tuo videbimus lumen?* Et nunc Domine Deus, illuminatio mea, & salus mea, in lumine tuo ambulabo, & in nomine tuo exultabo tota die, & in iustitia tua exultabo; quia gloria virtutis meæ tu es, & in beneplacito tuo voluntas mea stabit.

Psal. 34.  
Psal. 35.  
Psal. 36.  
Psal. 38.